

## † R. P. Carolus Veramme (1848–1938)

(Prov. Belg.)



Die 28 Ianuarii 1938 in collegio nostro Bruxellensi diem obiit supremum patriarcha seu senior totius Congregationis, R. P. Carolus Veramme. Natus in loco Pollinghove, dioecesis Brugensis, d. 15 Apr. 1848, brevi annum suum nonagesimum completurus erat; quam longaevam aetatem hereditate quadam a bona matre accepisse videtur, quippe quae a. 1919 emortua sit aetate plane extraordinaria 103 annorum et 7 mensium.

Absolutis in collegio episcopali Poperinghe studiis humanitatis, Carolus Veramme a. 1869 Instituto Alfonsiano nomen dedit. In tirocinio Magistrum habuit austерum sanctumque P. Ludovicum Bronchain. Votis d. 9 Iun. 1870 emissis statim in vicinam Hollandiam profectus est, ut studiis philosophicis theologicisque in collegio Wittem in cumberet. Tunc enim Wittem erat quidam studentatus internationalis, qui quidem in morte Patris Veramme amisit ultimum alumnum Belgam. Illius Ioannes Laurent, Episcopus tit. Chersonesitanus et insignis Congregationis amicus, Carolum nostrum d. 8 Oct. 1875 sacerdotem ordinavit.

<sup>1</sup> Iuxta relationem officialem duorum Ministrorum ad regem Saxoniae erant trigesinta quatuor, quorum 27 in Küstrin deducti, sex in Varmiam, patriam suam, missi, unus in Galiciam (*Mon. Hofb.* VII, p. 103).

<sup>2</sup> Patet tum Varsaviae varios rumores falsos sparsos esse.

<sup>3</sup> Cfr. *Mon. Hofb.* VII, 66.

<sup>4</sup> In regno Neapolitano a Gallis occupato omnes ordines religiosi quidem suppressi sunt, sed decretum quoad nostros executioni non est datum. In Sicilia minime erant turbati.

P. Veramme, postquam per aliquot menses domui Rollariensi adscriptus est, primum Trudonopoli, dein per quatuor annos Antverpiae vitam missionalem tentavit, at exitu parum felici. Licet enim eum neque ingenium deficeret neque iudicium bonum, tamen natura nimis timida nimisque sensibilis eum impiediebat, quominus bonus orator fieret.

At infortunia illa oratoria, quae interdum iuvenem contionatorem coegerunt sermonem praemature abrumpere, in maius bonum Provinciae et Congregationis versa sunt. Peculiaris enim Patris Veramme vocatio erat domi munia minus honorifica, at haud minoris momenti quam alia, fidelissime explere et Superioribus, missionariis aliisque infinita servitia praestare. Exeunte a. 1882 residentiae P. Provincialis adscriptus, Bruxellis ad Sancti Ioseph mansit usque ad mortem, ergo 56 annos: fuerunt quidem anni externo splendore privati, verum meritis et successibus quoque a prime fecundi.

Per 38 annos P. Veramme Archivista Provinciae fuit et per 50 annos eiusdem Procurator pro Missionibus exteris. Quantam et quam utilem operam sic vertentibus annis praestitit Belgicis nostris missionariis in Antillis et in Canada et in Galicia et in Congo laborantibus! Praesertim haec postrema Missio ei valde cordi erat, postquam a. 1903 tanquam Visitator extraordinarius primas stationes paulo ante in torrida terra Africana conditas inspexit. Inde ab initio (1899) omni e portu Antverpiae profectio missionariorum Congolensium aderat, invigilans vel minimis rebus: ut cunctis praescriptionibus auctoritatis legitimae fieret satis, ut sarcina in tuto collocaretur... Usque ad ultimas vitae terrestris hebdomades eum videres vias urbis principis perambularem et modo tabernam mercatoriam, modo tractatorium magistratus publici ingredientem: semper occupatum negotiis confratrum procul laborantium. Quot animae in longinquis regionibus viventes hac ratione beneficiis Patris Veramme, cuius ne nomen quidem forte in hoc mundo noverant, perfructae sunt!

Attamen in ipso Belgio quoque innumeri confratres ex indefessa Patris Veramme opera utilitatem haud parvam perceperunt; nam quasi mos invaluerat pulsandi in omni occurrente necessitate portam huius boni et officiosi confratris, cui sacrosanctum erat illud Christi Domini: *Omni petit te, tribue!* (Luc. 6, 30), et qui omne negotium ad felicem exitum conducere sciebat.

Praeterea P. Veramme annis 1898–1906 Consultor provincialis fuit et per amplius 40 annos socius P. Provincialis in visitatione canonica Provinciae.

Humilis vita huius religiosi ab omni strepitu tam remota summae erat fratribus aedificationi. Nulli deerat actui communi, Matutinam vespertinamque meditationem etiam admodum senex fere semper genibus innixus instituebat. Singulis diebus assistebat compluribus Missis supererogatoriis.

Temporis liberi partem magnam coram Tabernaculo transigebat, nec solebat deambulatum exire solius recreationis gratia. Recitatis cum communitate ultimis precibus obibat constantia admirabili Viam Crucis, in fine paulisper ante Matris perpetuo succurrentis Imaginem orando commorans. Solo paenultimo vespere hoc pietatis exercitium finire non potuit, id quod vicinum vitae terminum praesagiebat.

Nihilominus et ipso die obitus mane, etsi cum certa difficultate, Missam celebravit nec postea ad lectum rediit. Post meridiem ipse ad se vocavit confratrem, cui quaedam negotia nondum absoluta explicaret et indicaret accurate nomina eorum, quibus suae mortis nuntium mitti cuperet.

Circa horam 7 p.m., aucta interim virium defectione, Adm. R. P. Rector prudentius iudicavit optimo seni ultima administrari sacramenta, qui grato animo et sueta simplicitate hoc insigne beneficium recepit. Et vix totus ritus finitus erat atque Benedictio Apostolica data, cum P. Veramme, sicut vixerat, sine tumultu, admodum tranquille, in domum aeternitatis suae ivit.

In benedictione est eritque semper memoria huius egregii religiosi, sive apud Superiores, quibus vere fuit *fidelis servus et prudens*, sive apud confratres, quibus tot exempla virtutis dedit ac tot servitia praestitit, sive etiam apud exterros, quibus gratum sese reddidit affabilitate, modestia, caritate. R. I. P.